SERMO

M. NICOLAI TROILI HAGIOCHORANI
pro tempore

FACULTATIS PHILOSOPHICÆ IN ACADEMIA PRAGENSI DECANI

DE
BOIEMIA PIA
CONTRA
ROXOLANOS
IN
SOLENNI PROMOTIONE MAGISTRORUM ET BACCALAUREORUM

AD
HOSPITES OMNIUM ORDINUM INVITATOS.

ANNO CHRISTIANO, M. DC. XV.

PRAGÆ, Typis PAULI SESSII.

BOJEMIS

Omnibus amantibus Patriam S. D.

AMo Patriam, mi Bojeme, amice πολλȣ ἄξιε, quæ communis eſt omnium noſtrum parens: amo patriæ ſolum; quod cum omnibus eſt charum, tum veró dulce atque jucundum.

Tu ſi idem facis, & cum grata recordatione in mente tua revolvis; quod hîc locus eſt; hîc dii penates patrii; aræ; foci; lar familiaris, ubi quiſque altus & doctus; quod hîc; & non in Roxolania orti ſtirpe antiquiſſima ſumus; quod hîc genus, hîc majorū noſtrorum, & non Roxolanorum veſtigia habemus, tum pro eo amore, quo decet chariorem eſſe patriam nobis, quàm noſmetipſos, cui nos totos dedere, & in qua noſtra omnia ponere, & quaſi conſecrare debemus, lubentius hunc ſermonē meū á quibuſdam feré extortum, (quem maluiſſem inter chartas meas deliteſcere & pabulum eſſe tinearum) de Bojemia Pia contra Roxolanos leges. Vale Optime Patricie bono patriæ, cuj natus es, & mea officia tibi ſemper dicata & parata habe.

Autor

SERMO PRIOR.

DE ORIGINE BOHEMORUM

præmissus 17. Febr.

PROMOTIONI BACCALAUREORUM

SI quantùm animi, tantùm afferrem ingenii, (Auditores N.) ad exequendas muneris & officii præsentes partes, sperarem profectó vobis omnibus hanc meam orationem gratam & jucundã fore. Sed fateor meum ingenium minimé voluntati meæ, & vestræ expectationi respondere posse, præsertim dum cogito, quod argumentum vestris eruditißimis auribus gratum ac jucundum foret. Omnes enim materiæ, quæ in hujusmodi Philosophica aliqua solennitate proferri possunt, ita sunt excussæ, ut ne vix quidquam produci poßit, quod non jam ante satis copiose sit pertractatum, ut quocunque me vertam, actum agere videar. Audivistis, non ita pridem (ut alia omittam) vitam Caroli IV. Imperatoris tractatam; audivistis

ſtis filiorum ejus, Venceſilai, quem aliæ Nationes Ignavum appellant, & Sigiſmundi, Regum & Imperatorum, vitas, res geſtas é tenebris in lucem revocari: audiviſtis Georgii Podiebraczii, amorem erga Religionē & patriam celebrari: audiviſtis, Principes, Duces, Comites, Barones, Nobiles, titulos Academicos non reſpuere, ſed iis inſigniri voluiſſe; audiviſtis milites Apollinis & Muſarum, milites Imperatorum, Regum, Ducum, etiam fortiſſimos gloria nominis ſuperare poſſe.

Nunc ut animos veſtros aliqua voluptate devincire & inflammare in hac promotione horum 17. Iuvenum Ornatiſſimorum queam, ſelegi argumentum id quod omnes ſcire, refert, de Origine Gentis Noſtræ Bohemicæ: An ejus Iudices, Duces, Reges & Imperatores ex Roxolania Genealogiam ſuam accipiant, præſertim propter eos, qui ex Roxolanis & Scythis genus ſuum ducere malunt, quàm á primis illis Colonis terram hanc inhabitantibus; poſteá propter eos, qui magis Nationum aliarum diſcunt origines, genealogias, & domeſticas negligunt, cùm eorum inter ſit domeſtica priús, quám aliena ſcire & intelligere.

Deinceps,

Neſcio, qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Quod

Quod Homerus Poëtarum Coryphæus, prudentissimi Vlyssis luculentissimo comprobavit exemplo, quem adeó patriæ amantem introduxit, ut si modo fumū sibi, de genitali terra exeuntem videre liceret, haud reluctaretur mori.

Quod dum facio, abs te qui Patriæ hujus nostræ Protector, Conservator, & Defensor semper fuisti, ut modo de ejus Origine dicenti mihi, pro tua Clementia adesse, actumq; hunc omnem ita dirigere & promovere velis, ut in hoc consessu, & omni vitæ meæ vocatione, nihil dicam, nihil faciam, nisi quod tibi gratum, hujc' Academiæ adeoq; Patriæ nostræ commodum & salutare.

Te veró Magnifice & Generose Dn. Dn. Rector, Vos viri veneranda pietate, nobilitate, dignitate, doctriná atque prudentiá longé præstantissimi, Vosq; Liberalium artium Studiosi & alumni Ornatissimi, Vos singulos & universos eá qua par est reverentiá, & humanitate rogo, ut mihi, non oratorié, sed nudé ὡς ἐν παρόδῳ *verba facienti, benignas & benevolas aures accommodetis. Quod vos, eo facilius facere spero eoque lubentius, si memineritis, & ut meminisse velitis, precor, illius, ubi ajt.*

Et pius est, patriæ facta referre, labor.

Nulla quæstio magis exercuit historiarum Scripto-

res, quám quæ habetur de Origine populorum; nec plures interitus Rerumpublicarum, aut bella Civilia sæpius gesta memorantur, quàm pro generis claritate ac splendore, cùm alii opibus, aut scelere, aut majorum Virtutibus parta nobilitate seipsos ab aliis sponté divellerent, & eorum affinitatem repudiarent. Extremum fuit arrogantiæ genus eorum, qui humanæ conditionis obliti, se á Diis ortos esse prædicarent, quod non modo imprudentibus ac stultis contigit, sed etiam iis, qui in summa sapientiæ ac Virtutis opinione floruerunt. Neque enim erubuit C. Cæsar in concione populi Romani, jactare se materno genere á regibus; paterno veró á Diis ortum traxissé. Quin ipsé Aristoteles ad Æsculapium & Apollinem retulit suum genus. Hinc opinio divinitatis eorum, qui cum homines esse desiissent, se DEOS fore arbitrarentur.

Atque hæc superbia potentiorum ad infimos usque manavit, & non tantùm manavit, sed postea cum in libros historicos irrepsisset, multos errores peperit. Et ne multas aliarum Regionum origines recenseam, ipsa hæc Bohemia testis erit. Nam alii statim á secundo generis humani parente Noao Bohemos originem traxisse affirmant. Et recté sané, si generaliter semina cunctarum gentium per filium Iaphetum propagata

respi-

respicimus. Quotquot enim Evropam incolimus; filii Iapheti sumus. Fuit autem Riphat Gomeri filius, Iapheti nepos pater Henetorum, qui Venedi, Vindi, & Slavi dicti sunt. Hic cum posteritate longa non modo vicinas arctoæ plagæ mundi partes tenuit, sed & focos, arásq; in Paphlagonia habuit. Alii rursus, qualis est Procopius & Albertus Grantzius tradunt, Slavos ex Scandia Justiniani temporibus in Pannoniam irrupisse, ac nominis sui nomine, lingua, ac fama, Europam universam implevisse, eo quod Croatæ, Dalmatæ, Bulgari, Poloni, Lithvani, Slavi ea lingua utantur, quæ in Scandia usurpatur, licet dialecto diversa. Ioan. Merygnola Episcopus Florentiæ, & post eum alii affirmant, Slavos ab Elisa filio Javani, avo Iapheti originē ducere. Sed hoc non modo cum scriptis historicorum non consentit, sed etiam maximè pugnat cum Hieronymo, qui asserit Æolas Asiæ minoris inhabitatores ab Elisa esse prognatos. Liquet autem ex melioris notæ Historicis, Bojos, á quibus Bojemia dicta, hæc loca, & has regiones tenuisse. Sic enim Tacitus: Boëmia quidem á Bojis Galliæ populis gentilitium Galliæ nomē adhuc retinet. Et Melantht. in Chronicis; Nomen & Regionem Boëmiæ adhuc novit hæc ætas; Quia Boji gens Alpina, in ea loca transiverunt ad silvam

Gäbre-

Gabretam, quæ nunc Bohemia appellatur.

Fallunt itaque & falluntur, qui ante Czechi adventum, nullos incolas hîc fuisse affirmant; Quin potius constat, anno á condito Mundo 2500, temporibus Josue á Bojogero filio Alemmani Regis Sarmatiæ urbes amplissimas fuisse erectas; Vnam dictam Bojohemum, ubi nunc ipsa Praga est; Alteram, Bojodurum, ubi hodie Passovia, quæ milites ante annos quatuor, non tantùm in perniciem Bohemiæ aluit, sed eosdem ad eversionem heri & nudius tertius, hujus Vrbis misit, multisque Colonis Bohemiam viduavit.

Post hos Bojos, loca hæc tenuisse constat, Suevos, Marcommannos, Hermunduros, donec bellis superati & victi, partim á Romanis, partim etiam ab aliis, Czechus & Lechus cum multitudine Henetorum in Bohemiam venissent, eamq; colonis implevissent, quos DEVS, terraq; in huncusque fovent diem. Atque illi, qui antea Vindi, Venedi, Slavi & Slavini appellabantur, jam hodie Czechi seu Bohemi á suo primo Duce vocantur & appellantur.

Et si Historicis credendum, uti credendum maximè, bellorum illa tempestate, vel nullæ omnino, vel admodum raræ in hac regione fuêre Civitates.

Czechus enim si Sylvio credimus, indigenas lacte & venatu,

venatu, Nomadum more, vitam ſuſtinentes, agriculturam & ædificandi artem primus docuit. Sub quo præter Curimam á Lecho in Poloniam abituro conditam, & duos pagos Kleneczium & Charvateczium in memoriam Gentis & filii ſui Kleni, nihil conditum eſt, qui poſtea cum vixiſſet in hiſce oris, ad radices Montis Zrzit, non procul Raudnicio vitam cum Morte commutavit, & non ſine miſerabili vulgi comploratione, in amæna planicie, quæ non adeó remoté ab ipſius domicilio Czechi erat, ſepultus eſt. Vnde retinendæ memoriæ ſui Ducis cauſa pagum Cztiniowes Comites ædificaverunt.

Parva quidem initia & principia exilia; Sed vera gloria & magna laudis ratio. Ex qua illud proficiſcitur adhuc hodie commodi, ut erudiatur poſteritas, nō caſu, non temeré, ſed ſingulari DEI providentiá factū eſſe, ut gens illa, invitis etiam Germanis loca hæc teneret; Vrbes plurimas, eáſq́ nobiliſsimas & florentiſsimas conderet; Reſpublicas legibus munitas fundaret, & regiones per omnes diſtrictus hujus regni coleret.

Quod veró Aventinus de Czecho & Lecho affert, nec recitare, nec refutare volo. Nam ſi bos capite ultra Tagyetam porrecto, bibit ex Eurota; Quid mirum? ſi veluti ab uno fontis capite, divergio quodam

 in flo-

in florentissima duo regna hæc gens est deducta. Neque conjectura illorum Roxolanorum moveor, qui abutentes autoritate historici, eam in Bohemorum originem detorquent, dum scribunt; Bojemorum nationem non ex Sclavis ut Æneæ Sylviò, & Joanni Daubravio videtur; Sed ex Roxolania esse; *Quasi majore contumelia is ipse, Antecessor quam in quos ista scripta sunt, seipsũ non afficiat. Ah quanto æquius fuisset, vel eum ipsum, cujus parentes, fratres, & affines eo in loco natos & educatos esse constat, amore mutuo Patriam prosequi. Cujus libet enim officium est, de patriæ emolumentis subinde & solicité cogitare, atq; in conservanda, illustrandaque ea, omnes animi corporis & fortunæ Vires, nervósq; intendere.*

Dii immortales, exclamat Cicero, dici vix potest, quid charitatis, quid voluptatis Patria quævis habeat. Nescis, nescis, quod alia Menecles, alia Porcellus loquatur. Quin etiam leges sanciunt, dicunt & loquuntur; Patria cujlibet debet esse dulcissima, addit glossa, sive sit parva, sive sit magna. Et Agis Archidami Filius nihil illis fidendũ esse dixit, qui in natale solum & Patriam impii essent. Vbi ergo judicii acumen? ubi mens? ubi ardor animi? Quid cupiebas? quid optabas his efficere. Finge sané tuos illos socios

quod

quod ab Hercule, vel Tuiscone filio Herculis originem trahant: Finge eos, aut ex Romanorum sanguine, aut sané ex ipsa genealogia Alexandri prognatos esse, efficies consimiliter, ut indocti pictores, qui cum virginem Mariam in stabulo malé tecto parientem constituant, eandem aurea veste & corona, nobili solæcismo exornant. Vera enim est Platonis sententia, quam Sylvius contra ejusmodi imperitos, qui nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant, usurpat; Omnes reges ex servis ortos omnes servos ex regibus. Et mirum est profecto, quid istis hominibus qui primo anno omnia sciunt secundo dubitant, tertio nihil sciunt, in mentem venerit, cùm á Q. Mutio Scævola Pontifice olim Romanorũ maximo, & omniũ, quorum scripta in Pãdectas translata super sunt, I. C. orum vetustißimo, reprehensum legamus Publium Servilium Sulpitium, nobilem illum civem Romanum, quod jus urbis ejus, in qua versabatur, ignoraret? quanto reprehendendi magis, qui genii, status velloci illius in quo commorantur, & cujus se cives profitentur, parvam, aut nullam sibi compararunt noticiam, præsertim illi, qui literis sunt dediti, & bonarum artium, atque antiquitatis Studiosi audiri cupiunt. Tales profectó pro aris & focis, pro salute & incolumitate patriæ, gravißimis

 pericu-

periculis ultró se non exponent; neque pro Patria mori dulce & decorum existimabunt, cum ex Jureconsultorum Scitis, tales ex mortalitate immortalitatem consecutos, etiam num per gloriam & in perpetuum vivere intelligant.

Atque sic animadvertitis, quæ nam ex his, sententia sit tutior & verior. Recté n. Livius; in antiquis, quæ similia veri sunt, pro veris accipienda. Multum, uti ille dixit, continet gratiæ antiquitas, si haberi posit. Antiquissima autem antiquissimorum historicorum est, de Origine Bohemorum hæc sententia, quam Roxolani isti nunquam evertent, neque scripto illo contumelioso alicuj perusadebunt. Maneat Roxolanus, qui Czechus aut Bohemus esse non vult. Maneat Scytha & barbarus, qui suos veteres pro barbaris agnoscit. Nam etsi utitur voce Barbari Sylvius, quod videlicet Bohemia in solo barbarico trans Danubium sita sit, tamen pauló post, dicit Gentem promissi tenacem, quæ plané naturæ barbarorum repugnat: Dicit Religiosam; Si universum populum simul expendas, non est qui religioni adversetur. Et cap. 36. Nullum ego regnum ætate nostra in tota Europa, tam frequentib9, tam augustis, tam ornatis templis dicatum fuisse, quàm Bohemicum reor.

Deinceps loquitur ex communi opinione, sicuti Ro-

xolani, cum jam constet ex superioribus, Bohemos ab Henetis originem traxisse. Quod si more Italorum, & odio causa religionis nato, hoc nomine Bohemos traducit, sinam eum, sicuti istos Roxolanos suo abundare judicio. Bohemia & gemmas suas, & dona sua, & vitia sua, ut Italia habet. Et quis hominum scit, quantùm regio regionem, in his vincat rebus. Sæpe Clodius accusat mæchos: Ægisthus adulteros; Catilina Cethegos. Et vulgare est;

Anglia peccatrix, Germania fraudis amatrix,
Gallia dat vites, nutrit Britannia lites.

Præterea, neque id novum, nam & antiquis hoc vulgare fuit. Vnde Græci tres populos improbitatis notarunt.

Lydi improbi, post hos secundi Ægyptii,
Tertiiq; Cares perditissimi omnium.

Ft notum est, quod ferè pro ænigmate usurpatur, τρία κάππα κάκιστα, *nempe trium nationum, Cappadocum, Cretensium, & Cilicum. Quæ postea detorserunt in Cornelium Syllam, Cornelium Cinnam, & Cornelium Lentulum, quibus tamen fides non est adhibenda, eó quod plura conficta sunt contra nationes peculiari odio scribentium, vel temeritate judicii.*

Sed redeo eó unde sum digressus. Gens itaque Bohema,

hema, cum jam hæc loca teneret, non contenta ea amplitudine regionis (sicuti est insatiabile hominis ingenium & habendi cupido) sed magnitudine animi elata, belli perita, periculorum contemptrix, (ut loquitur Sylvius) negotium subinde & indesinenter finitimis incolis facessebat, donec mutato statu, & gubernationis forma commutata, sub clientela ducum esse cæpisset.

Postquam enim Judices Bohemiæ, Czechus, Crocus & Libussa judicassent Bohemos in districtu Zrzitensi, hodie Lidomierziczensi, annis 87 tandem politia illa versa est in ducatum, cujus dux & Gubernator primus fuit Premyslaus, non rusticus, ut quidam volunt, sed vir nobilis, agriculturæ tamen veluti Cato Censorius, Lucullus, Sulla, & Diocletianus Studiosissimus. Is itaque á stiva ad sceptrum, ab aratro ad ducatum Bohemiæ, de agro in thorum conjugalem Lybussæ venit, leges nervos Rerum publicarum promulgavit, quæ in usu usque ad Caroli IV. Imperatoris augustissimi tempora fuerunt, quas ille postea, quia severiores forté erant, antiquavit, & novas in locum earũ substituit.

Errat itaque vehementer Aubanus ille Teuto-Bohemus cum Sabellico, osor gentis nostræ turpissimus, qui præter id quod Bohemos varié reprehendit, etiam iisdẽ nullas esse leges fingit, cum vel locus hic; constitutiones

Regni,

Regni, & jus municipale id refutent, ejusq; mendacia evincant. Dignus cum isto suo scripto pistrino, ut id tam diu permolat, donec verius appareat: Et pater ejus, si in vita nunquam peccavit, tamen majorem injuriam nationi Bohemicæ facere non potuit, quàm quod talem filium genuerit.

Post Przemyslaum ex ejus tamen stirpe duces alii sex erant, qui cum Premyslao annis 168. Ducatum Bohemiæ, qua poterant cura, & diligentia, & Premyslaus quidem contra Vlastam & ejus puellas; contra æmulum suum Toparcham Curimensem, ut Nezamyslaus, contra Misnenses & Moravos, ut Vogenus; contra Vrssoviczios, ut Cresomyslius, qui & Neclanus, rexerunt & gubernarunt. Nec alia de stirpe erant Duces Christiani, Borzivogius primus Christianus, Spitihnevus I, Vratislaus, Vencesilaus Sanctus, Boleslaus crudelis, Boleslavus pius, Boleslaus mitis, Jaromirus á fratre excæcatus, Vdalricus, Bretislaus Achilles Behemicus, & Spitihnevus II. dictus μισογερμανος qui ignorantes Roxolaniam in ea nasci non potuerunt. Reliquum tempus, quod fuit, est, & DEO benedicente erit, sub Regibus, qui partim é stemmate Premyslai per annos 584. regnarunt, partim é domo Austriaca, & Luceburgica imperarunt, & adhuc imperant de quibus

bus omnibus & singulis longum esset dicere, præsertim in hac asperitate frigoris. Taceo & interregna, ubi Principes non ex Roxolania, sed ex genealogiâ Ducum Bohemorum, prognati erant. Ostendunt hoc eorum nomina, ostendunt genealogiæ, stirpes & lineæ.

De quorum regno dici potest, quod de L. Lucullo Plutarchus scripsit, & Cicero confirmavit, eum cùm ad Mithridaticum bellum, á Senatu Româ profectum, tantum Imperatorem factum, ut non modo opinionem omnium quæ de ejus virtute erat, vicerit, sed etiam gloriam superiorum.

Vtinam Roxolanis istam mentem Dii donarent, ne dum in sole versari volunt, cæcutiant; sed potius Solem ipsum videant, historiam quid certi & veri habeat, dijudicent. Aliâs frustra current, & nugas agent. Sed tu DEVS clementissime, qui tuo justissimo arbitrio Regna dispensas; progeniem justitiæ atque clementiæ observantium benigné, ut David canit, custodis, nobis & posteritati nostræ, ejusmodi Reges concede, qui difficultates, quæ rebus mutuis, & ad interitum accelerantibus incumbunt, sustinere posśint, præpotenti tuæ fortitudinis manu, fulcito, sustentato & defendito.

Vos

Vos etiam, quos

Vincit amor Patriæ, laudumq; immensa cupido,

date operam, ut Patria, quæ communis est omnium nostrum parens, vestra doctrina, vestra diligenti historiarum lectione, sit illustrata, & á tanto contemptu vindicata; sit inscriptum in fronte unius cujusque, Patria fortiter propugnanda; firmiter animis vestris impressum, pro aris et focis pugnandũ, ut si postea quando necessitas postularet, possetis dicere cum Solone, O *Patria tibi & dictis & factis sumus opitulati: Aut cum Lacedæmoniis? Quid tandem vetare potest, quo minus in pugna pro patria Mortem oppetamus?*

Hoc si feceritis Amorem erga Patriam, gratitudinem erga Majores vestros, opera & studio declarabitis.

SERMO ALTER DE STATU ECCLESIÆ IN BOHEMIA.

IN PROMOTIONE MAGISTRORUM

26. Martii.

MIrari meritò quispiam poßit, AVDITORES Præstantißimi, cur orientem hujus vernalis diei lucem, lætißimis instrumentorum sonis, & suavißimis harmoniæ musicæ concentibus, hilarisq; vocibus, vultibus, ac animis serenis inchoëmus.

Et cogitat forté aliquis Musis & literis quod novum gaudium oblatum? Vbi locorum eisdem regnum novum paratum? Vbi gentium novus Apollo natus? ubi chorus Musarum novus creatus? ubi Helicon? ubi Parnassus novus excitatus? Nihil eorum est, Hospites optatißimi, sed primùm testari volumus, relicto illo exitu superstitioso in Sacellum nostrum, ut vocant vulgò, Corporis Christi, dum Rector Academiæ

hujus

hujus, non ſolùm cum omnibus Profeſſoribus, ſed etiam cũ omnibus Scholis Pragenſibus, ad Commemorationẽ Imperatoris Invictiſsimi, Caroli IV. Patris Patriæ hujus amantiſsimi, et Fundatoris Academiæ noſtræ auguſtiſsimi, heri & hodie binis vicibus exire ſolebat, & ibi nonunquam quæ manifeſtè verbo DEI repugnabant, audire cogebatur, gratam nobis noſtri Mecænatis, noſtri Patroni, eſſe memoriam, gratiorem ejus commemorationem, gratiſsimum hoc ſolenne feſtum, quod hodie per promotionem horum ſex Ornatiſsimorum Licentiatorum, recolitur. Exclamat enim Regius Propheta, de eo quàm honorificentiſsimè; in memoria æterna erit juſtus, & ab auditione mala non timebit: exclamat quàm ſanctiſsimè; Sanctorum Mortem in conſpectu DEI eſſe precioſam; exclamat quàm beatiſsimè, Juſtus venit ad pacem, & Viri pii quieſcunt in cubilibus ſuis. Poſtea, quemadmodum Romani ſua Hilaria circa hoc æquinoctium vernale Romæ celebrabant, éo quod Sol longiorem diem nocte efficeret; ita nos hodie noſtra celebramus Hilaria, dum hi Ornatiſsimi Licentiati, longa cura, multa nocte, magnis vigiliis quæſitum Solem jam ſplendidiſsimum illuceſcere vident, dum laborum ſuorum præmia digna, & in divinæ Philoſophiæ regno maxima, hodie, DEO nobis

cælestem gratiam accommodante, consequuntur.

Te igitur ó Sol Sapientiæ divinißime, qui hanc Academiam, in eáque tam docentes quàm discentes, sub alarum tuarum umbra benignè protexisti, eámque tanquam annulum signatorium in manu tua, imó ceu pupillam oculi in hisce tempestatibus rerum humanarum custodivisti, oramus, ut nobis, non tantùm hilaria nostra hoc die, sed perpetuó, nobis, Ecclesiæ, & Reipub. halcyonia, pro tua erga genus humanum misericordia, concedas.

Deinceps ad te Generose & Magnifice Dn. Dn. Rector, oculos ac ora nostra convertimus flagitantes, ut tum sceptrorum præsentium splendore, tum trabeæ ac vultus tui claritudine, ad finem usque nostri instituti honorificé perfruamur. Vos denique omnes Auditores Præstantißimos, oramus, ut non modo serenißima fronte, sed etiam benignißima voluntate ac animo, hæc nostra Hilaria audire ne gravemini.

Et quia in hoc actu promotionis, mea vox debet esse prima, dabo operam, ut non minus jucundæ, quam fructuosæ orationis recitatione vos oblectem. Dicam autem, loci & temporis habita ratione, quæ ad hunc cætum nostrum summoperé illustrandum, tum ad præsentem actum mirificé exornandum faciunt, de Statu

Ecle-

Ecclesiæ in hac nostra Patria, qualis is fuit sub initium, qualis in progressu, & qualis jam modo est, & ad finem si DEVS volet, erit.

Ac ut statim á primis incunabulis videamus, quod quærimus, fatendum quidem est, æqué Bohemis id evenisse, quod aliis. Nam sicuti aliæ gentes, præsertim veró Romani, semper erant superstitiosi, & Deos multos pro diversitate rerum & casuū colebant: Ita etiam primis hujus Bohemiæ incolis evenit, qui abjecta veri DEI cognitione, ad mundana se convertendo, visibilem DEVM, qui tamen in accessa luce habitat, in mundo quæsiverunt, sibique pro libitu finxerunt, & pro ipso Creatore, res fictas, Faunos, Nymphásq; colebant; et quod turpius dictu, fæminæ natura superstitiosæ, quod ipsæ fecerunt, manibus palparunt, Dearum imagines divino honore dignas judicabant. Tetka enim Klimbam idolum consilii: Libussa Zelu divinationis; BanKa uxor Vogeni Kyhalam scientiæ; quin & Lidmila Krosinam, frugum Deam venerabantur. Atque sic videre est, si quispiam cæperit excutere timorem et honorem DEI, vel divini Numinis reverentiam, omnia sibi licere putabit. Et quia mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinē imaginis corruptibilis hominis, propter quod tradidit

dit illos DEVS in desideria cordis eorum. Præstat ergo DEVM sic colere, sicuti se patefecit.

Felix autem térque quatérque Borzivogius, qui ex hac superstitione & idololatria, ad veram religionē, per Methodium primum Apostolum Evangelii concionatorem, in Bohemia perductus est. Felix ille ter & amplius, qui ex hoste DEI miles factus sit fortissimus, & non tantùm ille, sed cum uxore sua, & filiis Spitihnevo & Uratislao á Methodio per baptismum DEO consecratus est.

Ah quæso Vos mei Optatissimi Hospites, cogitate, quomodo circa hæc initia Draco ille magnus, Serpens antiquus, sibilaverit? quales hujc viro bono cogitationes moverit? præsertim cum ejus instinctu ab ethnicæ religionis Magnatibus, plebéque superstitiosa, pulsus fuerit in exilium. Profecto videri potuit, hæc ejus felicitas brevis & evanida. Perstitit tamen ille uti fortissimus miles, & super Draconem hunc obtinuit victoriam. Nam revocatus postea publicis Comitiis, non tantum citra sanguinem et tumultum, populum suum ab ethnicismo revocavit, eundem baptizari curavit, sed templa aliquot, præcipué vero hoc Pragæ ad Lætam Curiam, quasi Metropolitanum, erexit.

Neque his contentus, majora cum suis Christianis novis aggressus est, & ad Papam legatos misit, ut non lingua Romana, sed nativa Bohemica, sacra celebrare in templis concedat. Quod cùm obtinere non potuisset, etiam Cyrillo Episcopo Methodii fratre, apud Papam & Episcopos, qui centum & tredecim concilio illi præsidebant, intercedente, Audita est vox in eo concilio tanquam de cælo missa; Omnis Spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei.

O quàm dulcißimum hoc melos fuit, quàm jucundißimum canticum; Vox plena læticiæ: Vox exultationis & lætitiæ; Vox gratiarum actionis & laudis; Vox omnis felicitatis supereminens gloriâ, superabundans læticia, & afferens omnia huic Regno fausta. Hanc Vocem exultationis quoties considero, toties lubens ac lætus agnosco, eam fuisse voluntatem DEI nostri maximi, ut ab hominibus nostræ gentis, doctrinæ veræ semina, & Religionis puræ initia spargerentur, & ad alias Nationes propagarentur. Magna opera Domini; magnus & excelsus Dominus super omnes gentes, & super cælos gloria ejus. A Domino hoc factum est, & est mirabile in oculis nostris, & omnium gentium. Dominus memor fuit nostri, & benedixit nobis. Dominus DEUS noster redempti-

onem misit populo suo, mandavit in æternum testamentum suum. Quis ergo sicuti DEVS noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra.

Perculsi itaque hac voce cælesti omnes illi Episcopi, & admirati audaciam Bohemorum, quod id petere ausi fuerint, quod baptizatorum nemo adhuc petiit, concedunt Bohemis, ut sua patria lingua sacra celebrarent, & cantus vernacula lingua in templis instituerent. Vtinam hodie omnes Pastores Ecclesiarum nostrarum, hujus institutionis sint memores & observantes, non haberemus tot Voces latinas, tot Græcas in conventibus Ecclesiasticis; non audiremus tot boatus, tot strepitus, tubarum & fidium. Nam si nescivero vim vocis, inquit beatus Apostolus, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur, erit apud me barbarus; Sed haberemus loquentes nobis ipsis per Psalmos, hymnos, & cantiones spirituales. DEVS profectó non est autor confusionis, sed pacis in omnibus congregationibus sanctorum.

Verùm non diu talis ritus DEVM celebrandi mansit in Bohemia. Ditmarus enim Episcopus Pragensis brevi post eum abrogavit, & impia illa Drahomira, ethnicorum rituum acerrima propugnatrix; Christianæ pietatis infestissima hostis, publica vi

oppres-

oppreßit, & furiali furore innumeras Christianorum myriades exhausit. Infernalis hæc insania, usque ad tertium annum duravit, donec absorpta terræ hiatu in castro Hradczan perijsset, & Vencesilaus dictus Sanctus, legitimus paterni principatus hæres, halcyonia Bohemis Christianis denuo conceßisset, Religionemque receptam promovisset. Sed ut vulgo solet dici, ubicunque DEVS templum erigit ad salvandos homines verbo, ibi protinus Diabolus sacellum adjungit, ad eosdem seducendos. Nam cum hanc pietatem & Religionem Christianam fratris sui Vencesilai, Boleslaus dictus Crudelis ferre non potuisset, eundem ad lustricum convivium invitatum, inter pias preces enecat, & occupato principatu Bohemiæ tyrannicé, in Cives pios & Christianos sævit; Sacerdotes perimit, Pragam oppugnat, templa Christiana demolitur, donec ab Ottone, cognomento Magno, Romanorum Imperatore, ne Ecclesia Bohemica, ab amente & crudeli principe, quasi in cunis extingveretur, ejus furiosa rabies & sævitia, repressa fuisset. Nihilominus tamen hanc Religionem propagare & defendere studuerunt, Adalbertus Slavnicii filius; Theodatus (aliâs Bohdal) vir liberalibus Studiis apprimé eruditus; & ut Cosmas loquitur, artibus probis & moribus decora-

tus, ſeverus delinquentium reprehenſor; Eccardus prædicator facundus, qui agnoſcentes, ut viri ingenui & modeſti, quod ſit, difficilius invenire, quàm inventis addere, & de fundamentis ædificium extruere, quàm ſummum ei faſtigium imponere. In illis igitur tenebris operi manū non tantùm illi admovebant; Sed fuerunt & alii viri erga Religionem benè affecti. Nam ſi verum eſt, quod Bohuslai Presbyteri liber ſub annum 921. Noribergæ typis vulgatus oſtendit, jam illa ipſa tempeſtate, ſub Vtraque ut loquuntur ſpecie, Omnibus Chriſti fidelibus, ſecundum inſtitutionem, præceptumq́; ejus inviolabile, Cæna Domini adminiſtrabatur. Fuitqúe hoc verum, quod arundinem quaſſatā non confringet, et linū fumigans nō extinguet.

Sed quemadmodum etiam num fieri ſolet, ut quo ſanctior eſt dies feſtus, eó ſit inquietior Diabolus, & in omnes occaſiones turbandi & ſanctitatem violandi intentus; ita quoque in iſtis initiis videbat pullulaſcentem Eccleſiam, ideó eam mendax ſpiritus vaſtare, opprimere & perdere tentavit, modo per Epiſcopos, qui eo tempore criſtas tollere, ſeque regibus opponere, & Sago quàm Toga, chlamyde quàm caſula vitam vivere voluerunt; modo per Monachos qui tum Pragam veniebant, & recipiebantur. Erat enim tum ſeculo

illo,

illo, doctrina Religionis Christianæ, densißimis errorũ ac superstitionum tenebris involuta: Mentes homi- num miseræ, crudeli servitutis jugo pressæ; vagaban- tur sine certá consolatione, sine fide, sine spe. In tem- plis omnia ad turpem questum erant comparata; vena- lia jura; venalis fides; venalis salus; venale cælum; & plané nihil non erat venale, cælum ipsum, & quæ in cælo tandẽ á beatis poßidentur, venalia bona universa.

Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,

Ignis, thura, preces, Cœlum venale, Deusque.

Et ut uno verbo dicam, omnes illi Episcopi, Archiepi- scopi in eo seculo erant, qui sibi magis placebant, quàm Peleus in machæra; magis dilexerunt gloriam homi- num, quàm gloriam DEI. Jaromirus enim ille qui Sylvio Gebhardus dicitur, adeó temerarius fuit, ut & contumeliis & verberibus Joannẽ Episcopum Mora- viensem affecerit. Robertus corrasa pecunia in Bo- hemia, clam profugit in Misniam. Hermannus electioni Ottonis Ducis Moraviæ contradixit. Mainhardus in Sobieslaum interregem conspiravit. Fridericus bona Ecclesiastica expilavit. Et ne o- mnes commemorẽ, cum apud eos, auro loquente, nulla pollebat oratio; fuit τὸ κέρδος ἡδὺ; *fuit malum lucrum conjunctum non malum; fuit usitatum id Juvenalis,*

 quod

quod frequens, sed pestilens Vespasiano in ore & re turpi fuit Lucri bonus est odor ex re Qualibet: *fuit Religio, legio; conciones, Vrbium expugnationes; Biblia, nablia: Ecce an non in hisce antiquus serpens, antiquum obtinet? An non antiquum suum fallendi artificium exercet? dum quæ non agenda sunt, obtrudit, & quæ agenda sunt, aut vilifacit, aut negligit. Hi sunt ii funes, hi laquei, quibus per hæreticos irretivit omnes, quotquot ab initio sunt seducti.*

Tam ergo afflicto, tamque perdito Statu, cum res esset divina. DEVS qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, misertus ejus calamitatis, opem tulit Ecclesiæ, & excitato divino viro & Spiritus Sancti donis largißimé instructo, Carolo IV. Imperatore Invictißimo, Rege Bohemiæ Serenißimo; Patriæ hujus amãtißimo, Academiæ nostræ Fundatore munificentißimo, qui Academiam hanc, Musarum domicilium; pietatis asylon; sapientiæ oraculum; Prudentiæ habitaculum, erexit, fundavit, & á Clemente Pontifice ante annos 267. confirmari curavit, ut in ea Artes & Scientiæ in qualibet Facultate docerentur. Quo fundamento dato & posito, vixerunt & claruerunt in ea viri undiquaque doctißimi; Vixerunt

xerunt & claruerunt multi, qui cum bonis artibus Religionem ipsam amarunt & promoverunt. Et ne multos commemorem, claruit eo tempore Conradus Austrius, concionator celebris, & acerrimus vitiorum insectator; claruit M. Mathias de Janov, aliàs Parisiensis, fervens veritatis Christi Zelator; claruit M. Joannes Milicz &c. baro & concionator in templo arcis Pragensis facundissimus, qui veram Evangelii doctrinam, discussis tenebris, in hanc clarissimam lucem nobis collocarunt, qua DEI beneficio hodierno die fruimur. Inter quos tamen veluti Sol & Luna inter sidera eminent, M. Ioannes Hussius & M. Hieronymus Pragenus præcelluerunt. Postquam enim potentissimi quique Cæsares operam luserunt omnem, quando carnalibus armis Antichristum oppugnabant, & é solio dejicere moliebantur; spiritualibus armis opus erat, quibus olim Apostoli mundum expugnarunt, nempe verbo DEI, tanquam gladio divini Spiritus invicto, & in omnem æternitatem insuperabili. Nam DEI Spiritu conficiendus erat Antichristus sine manu, quod Daniel & Paulus luculentis suis vaticiniis prædixerunt. Hussius itaque ex suo Musæolo, cum precibus ad DEUM, tum salutaribus suis hoc ipso in loco Disputationibus, & in Sacello

Bethlemitico concionibus adversus illam nequitiæ sedem, ac pestilentiæ cathedram, stupendum in modum quasi tonabat, fulgurabat, fulminabat, & unam post aliam victoriam (successum largiente DEO, & Virtutem dante tonitrui suo) reportabat gloriosißimé.

Audivisses hîc varia certamina contra indulgentias Pontificis Romani promulgatas: audivisses reprehendi superbiam, luxum, avaritiam Sacerdotum: audivisses rejici vota, impurum cælibatum, superstitiones, commenta Monachorũ, & tyrannidem Pontificum; audivisses mutilationem Cœnæ Dominicæ inculcari; cultum, invocationem sanctorum, adorationem imaginum ac statuarum reprehendi; audivisses consecrationes magicas olei, salis, aquæ & similium rejici; audivisses enumerationem omnium delictorum in Confeßione privata, legibus Pontificum severißimis sancitam refutari, satisfactiones Canonicas pro defunctis, extremam unctionem, theatricæ mißæ abusus taxari. Hæc & multa alia, cùm sanctißimus Martyr de vera agnitione Filii DEI, & remißione peccatorũ docuisset, regnum Pontificium prostravit, & personantes in templis boatus, contra veram doctrinam Evangelii consopivit, donec tandem in Synodo Constantiensi, contra fidem publicam, contra promissum Imperatoris,

contra jus & fas á tyrannide Pontificia, proclamatus hæreticus, rogo est destinatus, & posteá combustus.

O sancta hæresis, exclamat quispiam de eo scribens, quæ verbum DEI veri sincerum re docet vera.

Talis fuit fidissimus ejus παραςάτης *M. Hieronymus Pragenus, in sincerá Evangelii doctriná constantissimus sectator, qui idem opprobrium & supplicium causa fidei & veræ Confessionis in Christum pertulit. Atque hæ sunt illæ olivæ, & duo candelabra in conspectu DOMINI terræ posita. Hic est ille secundus Mundi Elias, qui Baalitarum idololatriam prostravit. Hic ille Angelus Apocalypticus, qui æternum Evangelium per omnes gentes, tribus & linguas protulit. Hic ille Stilpon, cuj cognomen ab exitio Vrbium Poliorcetes fuit, qui capta Patria, amissis liberis, amissa uxore, cum ex incendio publico solus & tamen beatus exiret, interrogante Demetrio, nunquid perdidisset, Omnia, inquit, bona mea mecum sunt. Ecce Vir fortis ac strenuus; ipsam hostis sui victoriam vicit. Nihil inquit perdidi; omnia mea mecum sunt. Sic noster Hussius inter medios ignes bono animo, quasi nihil de corpore perderet, inimicis suis respondet; Hodie assatis anserem, post centum veró annos audietis canentem Cygnum, quem feratis necesse est.*

Quod

Quod si miramur animalia quædam, quæ per medios ignes, sine noxa corporum transeunt; quantó hic mirabilior Vir, qui per ferrum & ignes indemnis evasit? Fuitq́; veré λόγιος ἀνὴρ, á summo λόγῳ Filio DEI ineffabili munere, ac bonitate nobis in hac ultima mundi senecta excitatus, atq; concessus.

Videtis ergó quantò facilius sit totam gentem, quam unum virum vincere. Invictus profectó Martyr, ut aurum in igne probatus, occubuit. Proinde sint magno in honore Magi apud Persas; Sint æterna in laude Gymnosophistæ apud Indos; Prædicet Græcia suos Sophos; Italia Philosophos; Gallia Druidas, habes & tu Bohemia quos deprædices. Tanti enim Martyres ex te prodierunt, quorum fama non Bohemiæ limitibus; non Germaniæ terminis; non Europæ finibus clauditur; sed Universum Christianū Orbem adhuc hodie pervagatur. Interim tamen dum ista cum Husso & Hieronymo Constantiæ fiunt, domi hîc inter Bohemos propagata doctrina veritatis, progressus fecit maximos, & inter gravissimas oppugnationes crevit quotidie auditorum & confessorum numerus. Testantur hoc multorum hominum interneciones, persecutiones, factæ hîc Pragæ, Guttebergæ, & Lidomierziczii; testātur tot Concilia, tot Comitia

causa

causa Religionis hîc & alibî habita; testantur vel illi ipsi, qui Calixtini, qui Thaboritæ vocabantur, imó testatur hodie, & apud posteritatem testabitur, vel ipse textus aureis notis in fastigio Sacelli Corporis Christi incisus, & ex mandato Imperatoris Sigismundi in præsentia Legatorum Basiliensium, lingua Bohemica, Latina, Hungarica & Germanica in eadem ædicula promulgatus; Bohemos & Moravos sub Utraque specie communicantes esse veros Christianos, & legitimos filios Ecclesiæ DEI. *Magnum profectó & terribile est nomen DEI nostri, qui redemit nos in sanguine filii sui, ex omni tribu, lingua, populo & natione; Cui sit benedictio, charitas, sapientia, gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo in secula seculorum.*

Lubens autem hîc brevitatis studio prætereo bellorum motus, & tempestates Bohemiæ sævissimas, partim à Pontifice, partim á Germanis causa hujus Religionis excitatas; Quinquies enim magnis exercitibus tentatam fuisse Bohemiam ostendunt historiæ; Et quidem unum exercitum ex Saxonibus collectum duxit Elector Saxoniæ; alterum ex Franconibus Marchio Brandeburgensis; Tertium ex Rhenanis, Suevis et Bavaris Otto Archiepiscopus Trevirẽsis, qui omnes exercitus, partim sunt cæsi, ac repulsi, partim

nondum viso hoste, sponte sua, & quasi Pānicis terroribus conterriti diffugerunt; ut plané dubium non sit pro pio grege amplexo renascentis Evangelii lumen, pugnasse sanctos Angelos, quibus terrorem incusserunt, & sine armis hac sola consternatione animorum in fugam conjecto, tota Bohemia exegerunt. Atque tum Bohemi fuerunt omnibus feré terrori. Nam post Mortem fortissimi illius militis & Ducis Ziz cæ, per annos multos excurrentes in vicinas terras; Moraviam, Austriam, Misniam, Voitlandiam, Bavariam, maximis præliis, & ingenti strage affecerunt. His ita gestis, cum aliis Nationibus, ex voto res non succederet, alia via aggressus est oppugnadi Bohemos Paulus II. Ponti: Rom. & Excommunicationis brutum fulmen, non tantùm in Regem Georgium Poddiebraczium torsit; verùm bullam promulgavit, quá excommunicavit nomine falsó hæreseos, Viclesitas, Hussitas, Rokyczanitas & alios veræ Religionis amantes Bohemos, contra quam bullam Georgius Rex Apologeticum scriptum opposuit.

Floruerunt ergó in Bohemia Ecclesiæ, & progressus inter gravissimas oppugnationes fecerunt maximos, in diesq; major crevit auditorum & Confessorum numerus, uti ille dixit; á sanguine Martyrum Eccle-

siam crescere, sicuti in agris & pratis cum rigantur, omnia uberius proveniunt. Et non tantùm crescebant Ecclesiæ, sed doctriná, á successoribus quotidie excolebatur. Claruerunt enim post Mortem Hussii Viri doctissimi & Sacerdotes Religiosissimi, M. Jacobellus Myzensis fidelis adjutor & Collega Hussii & Hieronymi; M. Ioannes Rokyczana, M. Petrus Peyne, aliâs Pavonius Britannus socius Ioannis Viklefi fidelissimus, M. Martinus Lupacius ab Augezd; M. Ioannes Przibram; & M. Procopius de Plzna. Quorum operá & industriá Bohemia Antichristi fastum & errores intelligere, ac Evangelii veritatem quasi postliminio recipere & amplexari cæpit. Neque autem tantum ii erant, sed multi alii viri doctissimi, quos longum recensere foret, qui secundum DEUM conservatores & propagatores Religionis veræ fuerunt.

Talis fuit M. Iacobus Columbus, Mysen. purioris doctrinæ amator & propagator strenuus. Talis M. Ioan: de Oppoczna Theologus Prag: qui propriis sumptibus literariæ adolescentiæ Scholam ad D. Petri erexit, ut pueritia Scholastica ibidem in Catechesi institueretur. Sed quid eos commemoro, qui nostræ Religionis fuerunt, cum potius mirandum sit,

quid iis in mentem venerit, qui doctrinam hanc de usu integro Cœnæ non tantùm approbare, cum à partibus Papæ essent, sed eandem administrare ausi fuerint. Talis fuit Augustinus ille Lucianus Episcopus Sancturiensis, qui integrum Cœnæ Domini sacramentum plebi utriusque sexus administrabat. Talis Philippus Novavilla, Vicecomes Palatinus, Sidoniensis & Mutinensis Episcopus, qui cum Pragam venisset, eundem integrum usum Cœnæ approbavit, & idoneis viris Ministerium Ecclesiasticum concessit.

Tanta equidem vis est veritatis, quæ semel in lucem prolata, facilè se per seipsam, contra omnem falsitatem & sophisticam defendit.

Toto itaque eo tempore, ut in Bohemia conservarentur semina doctrinæ veræ, quam hodie profitemur, DEUS excitavit Viros bonos & Religionis veræ amantissimos, qui quanto cum periculo & perpetuo quidem suo inter exilia continua, & persecutiones maximas, non sine profusione sanguinis id egerint, ut doctrinam illam non tantùm retinerent, sed postea Confessionem scripto comprehensam Maximiliano ejus N. II. Regi Bohemiæ supplices in Comitiis offerrent, & traderent, qui forte nisi immatura morte abreptus fuisset, eam approbasset & confirmasset.

Per

Per hos Viros ſanctos magnifica & glorioſa effecit, majeſtate ſua Dominus. Sapienter & pacificé amarunt hanc religionem. Omnes iſti & multi alii, quorum nomina innumerabilia lubens prætereo, ætatibus ſuis gloriam adepti ſunt, & temporibus ſuis laude multijuga claruerunt. Omnes iſti, ſicut Sirach Jeſu loquitur, ſunt viri miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt. Nomen Patriæ & poſteris ſuis reliquerunt præclarum, in quo ampliſſima laudũ memoria eſt propoſita, ipſorumq; rectè facta oblivione nunquàm delebuntur. Hæreditas bona, ſemen ipſorum, & poſteritas eorum manebit in perpetuum cum dignitate & gloriá. Corpora eorum, in pace ſepulta ſunt; at nomẽ vivit in ſeculum ſeculi. Sapientiam eorum enarrabunt populi, & laudes ipſorum prædicabunt hominum congregationes. Sit igitur memoria ipſorum in benedictione. Oſſa eorum locis ubi condita ſunt, perpetuó frondeſcant, nomen ipſorum in æternum permaneat; & honos hæreditatem gloriæ ſanctorum, ad filios & poſteros multis ſeculis propagetur.

Quod ergo fieri non potuit, ut Confeſſio illa á Viris Generoſis & doctis conſcripta, ab Imperatore Maximiliano confirmaretur, tandem DEVS pro ſua clementia, ut Ordinum hujus Regni conſtantiam in fide,

perſeverantiā in Religione, ſedulitatem, curam in pietate probaret, poſt annos quatuor & triginta, Bohemiam noſtram reſpexit, COR RUDOLPHI II. Imperatoris Auguſtiſsimi, Regis Hungariæ & Bohemiæ Sereniſsimi, Dn. Dn. olim noſtri Clementiſsimi, movit, cōmovit, et promovit, Bohemisque ardenter & ſuppliciter inſtantibus, rogantibusque, ante annos ferè jam ſex, liberū Religionis, juxta eam Confeſsionē Bohemicā, exercitium, Baronibus, Nobilibus, Civibus, atque adeó omnibus incolis Regni Bohemiæ permiſit, peculiari privilegio confirmavit, Academiam & Conſiſtorium iisdem Ordinibus Regni dedit, tradidit, & in perpetuum regendum ſanxit & commiſit.

Olim Cajo Julio Cæſari, Dictatori & Imperatori victorioſiſsimo Tullius acclamavit in ea, quam pro Marco Marcello habuit Orationem; Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes. Fruatur ſane hac laude Julius. Quid veró cunctæ illius res geſtæ? quid toties collata ſigna? quid commiſſa prælia? quid obtentæ victoriæ? quid acti triumphi? quid omnis illius gloriæ militaris, quà terrarum orbem complevit trophæa? quid Imperatoriæ majeſtatis monumenta bellica virtute parta? ſi confe-

rantur adhoc ingens opus, quod Rudolphus singulari numinis divini afflatu suscepit, expedito successu continuavit & confirmavit, optatóque fine perfecit.

Non sufficit hîc flumen Tullii, non gravitas Xenophontis; non suavitas Theophrasti; non lepor Plauti; non latinitatis in quem omnium omni tempore disertissimorum Oratorum abeant fluvii Oceanus, decantandis, aut saltem beneficiis & virtutibus DIVI RVDOLPHI recensendis.

Interim tamen, quod faceret Tullius calamo; Ma-*ro stylo, Demosthenes ore, Crœsus opibus, hoc nos facimus, faciemus pectore & animo, tuásque Virtutes & facta, Virtutum & factorum laudes, & encomia, omni tempore, omnique loco pensabimus, decantabimus & commemorabimus,*

Sed tu summe DEUS. cuj afflicta Ecclesia curæ est,
 Exaudi gemitus pectoris, atque preces

naviculámque tuam, & omnes in ea Christianos tuos, in æstuoso mari, in medio undarum ac fluctuum cursu ne submergatur, conservato, sine, ut Ecclesia tua in eo fundamento, & angulari lapide firma, & inconcussa permaneat, in quo á te est ædificata; Et quia hoc quàm verissimum est,

Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine cæpit,
 Sanguine succrevit, sanguine finis erit;

Ideó eam respice de cœlo & vide; visitaq́ vineam tuam & perfice eam, quam plantavit dextera tua, & quam elegisti tibi, ut palmites ejus extendantur, & propagines crescant; obsepi eam scuto tuo; suscipe oves tuas in protectionẽ tuam, ne ab aliquo ex manibus tuis eripiantur; increpa feram arundinis; dissipa congregationem taurorum, conculcantem propter beneplacitum argenti, dissipa omnes, qui bella volunt, & nos potentia tua fulci & protege, imó totum hoc bonum confirma, quod in nobis es operatus, ut tibi, æterno, & immortali Principi seculorũ; invisibili, soli sapienti DEO Regi Regum & Domino Dominantium, sit laus, honor, & imperium sempiternum.